Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



STIC

278

signum eum. Luna signum diei festi. Luminare qui nuntiat in consumatione mensis secundum nomen eius est crescens mirabiliter in consummatione. Vas castrorum in excelsis firmamentum celi resplendens gloriose spectacle celi gloria stellarum lucentium illuminans in excelsis dominus. Iuxta sancti stabunt adunitum et non deficient in vigiliis suis. Vide arcum et benedic qui fecit illum valde speciosum est in splendore suo. Circuit celum in circuitu gloriae suae manus excelsi aperuerunt illum. Iussu suo accelerat nivem et accelerat coruscationes eius. Propterea apti sunt thesauri et evolaverunt nebulae sicut aves. In magnitudine sua posuit nubes et confracti sunt lapides grandines. In aspectu eius conmovebuntur montes in voluntate eius aspirabit notus. Vox tonitrui eius verberabit eam et tempestas aquilonis congelabit eam. Et sicut aves deponens ad sedendum aspergit nivem et sicut locusta demergens descendit eius. Pulchritudinem candoris eius admirabit oculus et super imbrem eius expavescet cor. Celum sicut salem effundit super eam et dum flaverit fiet tamquam acumina tribuli. Frigidus ventus aquilo flavit et gelavit cristallus a facie aquae. Super omnem congregationem aquarum requiescet et sicut lorica induet se aquis et devorabit montes et exuret desertum et extinguet ut ignem. Medicina omnium infirmitatum nebulae. Ros oriens ab ardore venenum humilem efficiet eum. In sermone eius silent venti et cogitatione sua placabit abyssum et plantabit illum dominus. Qui navigant mare enarrant periculum eius et audientes aures nostras admirabimur. Illic praeclara et mirabilia opera magna et bestiae et omne pecus et creatura bestiae. Propter ipsum firmatus est mundus finis et in sermone eius posita sunt omnia. Adhuc dicimus et deficimus in verbis et summa eio autem sermonum ipse est. In omnibus glorificantes ad quid valebimus. Ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis dominus et magnus vehementer et mirabilis potentia ipsius. Glorificantes dominum. Quantumcumque potueritis superexaltabit adhuc et mirabilis magnificentia eius. Benedicentes dominum exaltate illum quantum potestis. Maior est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute ne laboretis non explicabitis eum. Quis enim vidit eum et enarrabit et quis magnificabit eum sicut est ab initio. Adhuc abscondita sunt maiora his. Parva enim vidimus opuum eius. Omnia autem dominus fecit et viris agentibus dedit sapientiam.

XLIIII.

Laudemus viros gloriosos et parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit dominus magnificentia sua a saeculo dominantes in potestatibus suis. Homines magni in virtute et prudentia sua praediti. Iudicantes in prophetis dignitatem prophetae et imperantes in consilio populi et in virtute prudentiae plenissima verba. Imperitia sua requirentes modos musicos et narrantes carmina scripturae. Homines divites in virtute. Pulchritudinis studium habentes. Pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suae. Gloriam adepti sunt et in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt reliquerunt nomen enarrandi laudes eorum. Et sunt quorum non est memoria. Perierunt qui non fuerunt et nati sunt qui non nati et filii ipsorum cum ipsis. Et illi uti nisi sunt. Et pietates non defuerunt. Et cum semine